



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 73. Vtrum dentur virtutes per se infusæ, tum theologicæ, tum morales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

dant simpliciter posse, puta sicut potentia visiva ad actus videndi; sed potentia permanentes dantes simpliciter posse nequeunt produci per actus, sed debent produci à generante, vel create, vt dictum est num. 4. ergo &c. E conversò habitus naturales fortitudinis, temperantiæ &c. comparantur ad suos actus, non tanquam potentia, sed tanquam puri habitus dantes solum facile posse; sed puri habitus possunt produci per actus; ergo &c.

8. Ad secundum: in adultis, qui conuertuntur ad fidem, sæpè habitus fidei, spei, & charitatis dantes simpliciter, & permanentes posse infunduntur à Deo, præcedentibus actibus, tanquam dispositionibus, & meritis de congruo, non autem physicè, & efficienter concurrentibus.

9. Ad tertium, distingo maiorem: habitus, qui per actus possunt physicè, & efficienter intendi, possunt etiam per actus primo produci, concedo; habitus, qui per actus possunt dispositiue, & meritoriè intendi, possunt etiam per actus physicè produci, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Habitus fidei, spei, & charitatis, qui dant simpliciter posse, per actus augentur, & intenduntur solum dispositiue, & meritoriè, physicè autem augentur, & intenduntur à solo Deo: ergo non inferitur, quod physicè, & efficienter possint primo produci per actus.

QVAESTIO LXXIII.

Utrum dentur virtutes per se infusæ, tum theologicæ, tum morales?

1. **V**identur nondari virtutes theologicæ per se infusæ: primo quia in homine puro darentur solum virtutes intellectuales, & morales, ac nullæ darentur virtutes theologicæ; ergo neque in homine eleuato dari debent virtutes theologicæ.

2. Secundo si darentur aliquæ virtutes theologicæ, maximè fides, spes, & charitas; sed hæ non sunt virtutes theologicæ; ergo &c. Probatur minor: nam fides naturalis non est virtus, sed est habitus inferior virtute, ideoque ab Aristotele 6. Eth. excluditur à numero virtutum: spes etiam non est virtus, sed est quædam passio; charitas nunquam à Philosophis recensetur inter virtutes naturales; ergo neque fides, spes, & charitas supernaturales sunt virtutes.

3. Tertio virtutes theologicæ distinguuntur à moralibus per hoc, quod theologicæ versentur circa vltimum finem, morales circa media: sed etiam virtutes morales versantur circa vltimum finem, cum ordinantur ad vltimum finem; ergo &c.

4. Respondeo necesse esse, vt in homine eleuato dentur virtutes per se infusæ, tum

theologicæ, tum morales. Probatur: nam homo eleuatus ordinatur ad hoc, vt per actus supernaturales moueat se ipsum ad Deum, tanquam ad vltimum finem supernaturalem per media proportionata, adeoque supernaturalia; ergo necesse est, vt habeat habitus per se infusos, quibus constituatur intrinsecè, & permanenter potens se mouere ad Deum vltimum finem supernaturalem, & ad media supernaturalia; sed habitus per se infusi, quibus homo intrinsecè, & permanenter potest se mouere ad Deum vt vltimum finem supernaturalem sunt virtutes theologicæ, quia versantur immediatè circa Deum; habitus, quibus homo intrinsecè, & permanenter potest se mouere ad media supernaturalia, vocantur virtutes morales, quia versantur immediatè circa bonitatem creatam mediorum; ergo necesse est, vt in homine eleuato dentur virtutes per se infusæ, tum theologicæ, tum morales.

5. Ad primum, distingo antecedens: in homine puro nullæ darentur virtutes theologicæ simpliciter, concedo; theologicæ secundum quid, nego; & nego consequentiam. Ex doctrina Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 62. art. 1. in corp. virtus theologica simpliciter requirit tres condiciones. Prima est, vt per illam ordinemur immediatè in Deum, tanquam in vltimum finem; secunda vt debeat immediatè infundi à Deo: tertia vt non innotescat per lumen naturæ, sed solum per diuinam reuelationem; sed in homine puro darentur quidem aliquæ virtutes, per quas ordinaretur immediatè in Deum, sed non darentur virtutes, quæ per se deberent infundi à Deo, & cognosci solum per diuinam reuelationem; ergo in homine puro non darentur virtutes theologicæ simpliciter, sed solum secundum quid. E converso in homine eleuato dantur virtutes, per quas immediatè ordinatur in Deum vltimum finem supernaturalem, quæ per se debent infundi à Deo, & per diuinam reuelationem cognosci; ergo in homine eleuato dantur virtutes theologicæ simpliciter.

6. Quæres, vtrum virtutes theologicæ, tum simpliciter, tum secundum quid, comprehendantur in diuisione, per quam virtutes ab Aristotele 1. Ethic. cap. vltimo diuiduntur in intellectiuas, & in appetitiuas, siue in eas, quæ perficiunt intellectum, seu rationem, & in eas, quæ perficiunt voluntatem, siue appetitum rationalem.

7. Respondeo affirmatiue. Et quidem ex virtutibus intellectiuis ab Aristotele enumeratis 6. Ethic. cap. 3. sapientia cum sit scientia de Deo, est virtus theologica secundum quid; ideoque 6. Metaph. tex. 2. vocatur theologia. Religio cum sit virtus colens Deum, est etiam theologica secundum quid. Ex virtutibus per se infusis, fides est virtus intellectiua simpliciter theologica; spes, & charitas sunt virtutes voluntatis simpliciter theologicæ.

ca. Virtus igitur tum intellectualis, tum appetitiva subdividi debet in naturalem, & supernaturalem, theologiam, & non theologiam. Virtutes autem voluntatis non theologice vocantur virtutes morales, quia versantur immediatè, non circa bonitatem divinam finis, sed circa bonitatem creatam, & moralem mediorum.

8. Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, transeat antecedens, & nego consequentiam. Fides naturalis, & humana non est virtus intellectualis, sed est habitus inferior virtute, quia cum nitatur veracitate hominis, quæ est fallibilis, est habitus fallibilis; sed de ratione virtutis intellectualis est, ut sit habitus infallibilis, & quo semper anima verum dicit, ut colligitur ex Aristotele 6. Ethic. cap. 2. ergo fides humana non est virtus intellectualis. E converso fides divina, cum innitatur infallibili veracitate Dei, est infallibilis, adeoque est virtus intellectualis. Spes naturalis ita sperat consequentiam ultimi finis, ut motuum sperandi sit possibilitas naturalis ipsum consequendi; sed habitus ita sperans ultimum finem, ut motuum sperandi sit possibilitas naturalis ipsum consequendi, vel non est virtus, vel non est virtus theologica; ergo spes naturalis non est virtus theologica. E converso spes infusa ita sperat ultimum finem, ut motuum sperandi sit omnipotentia, & infinita fidelitas Dei promittentis, adeoque est virtus theologica. Demum charitas est habitus amandi Deum, non solum ut dominum, sed etiam ut amicum, eique præstandi opera, non solum cultus, sed etiam amicitia; sed homo in pura natura esset in statu pure servili, adeoque posset prudenter amare Deum solum ut dominum, non autem ut amicum, & posset Deo præstare opera solius cultus, non autem amicitia; ergo non datur charitas naturalis, sed solum datur religio naturalis, hoc est naturalis virtus colendi Deum. Ex opposita ratione in natura elevata, cum homo sit elevatus ad statum amicitia, datur charitas virtus theologica simpliciter.

9. Ad tertium, distinguo maiorem: virtutes theologice voluntatis distinguuntur à moralibus per hoc, quod virtutes theologice versentur circa ultimum finem utcumque, morales circa media, nego; per hoc, quod virtutes theologice versentur circa ultimum finem, ita ut moveantur immediatè, & sufficienter à bonitate ultimi finis, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Virtutes theologice voluntatis differunt à moralibus per hoc, quod theologice ita versantur circa ultimum finem, ut immediatè, & sufficienter moveantur à bonitate increata ultimi finis, morales non moveantur immediatè, & sufficienter à bonitate increata ultimi finis, sed moveantur solum, insufficienter, ita ut moveantur etiam à bonitate mediorum, referendo tamen media ad ultimum finem, ut alibi magis explicavi.

QVAESTIO LXXIV.

Virum existentia virtutum theologiarum per se infusarum sit certa ex fide?

1. **V**idetur non esse de fide: primo quia Innocentius III. cap. maiores de Beatis & Clemens V. in Concil. Vien. ut referuntur in Clementina vnica de summa Trinit. & Cath. approbant solum ut probabiliorem opinionem, quæ affirmat dari aliquas virtutes per se infusas; ergo existentia virtutum infusarum non est certa ex fide.

2. Secundo si dicatur hanc sententiam ponentem virtutes infusas fuisse deinde definitam à Concilio Tridentino, contra illud Tridentinum posset ita explicari, ut deus solum dari actus infusos fidei, spei, & caritatis, non autem ut definiat dari habitus infusos distinctos ab actibus; ergo non est de fide existentia virtutum infusarum.

3. Tertio Concilia, & Patres, dum agunt contra Pelagium de necessitate gratiæ, solum definiunt, & docuerunt esse necessariam gratiam actualem consistentem in augmentis transeuntibus, non autem definiunt esse necessariam gratiam habituales consistentem in habitibus virtutum infusarum; ergo existimantur existentiam habituum infusarum non esse dogma fidei.

4. Quarto non est de fide dari virtutes morales per se infusas, ut cum communi Theologorum sententia docet Suarius de gratia, lib. 6. cap. 9. ergo neque est de fide existentia virtutum theologiarum.

5. Respondeo Innocentium III. cap. maiores de Bapt. referre duas sententias Theologorum. Prima est affirmantium in baptismo infundi parvulis fidem charitatem, & aliam virtutes. Secunda est id negantium. Verba oppositæ sunt. Illud verò, quod opponentes ducunt, fidem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi à plerisque non conceditur absolute, cum proprie inter Doctores Theologos questio referatur, dicitur sententia per virtutem baptismi parvulis quidem peccata remitti, sed gratiam non conferri, non dicitur dimitti peccatum, & virtutes infundi habitibus illas quoad habitum, non quoad operationem donec perveniant ad aetatem adultam. Ex his colligit Suarius l. 6. de grat. cap. 8. etiam Innocentium III. fuisse opinionem plurimum Theologorum, quod adultis cum insufficienter, infundantur habitus virtutum, præsertim theologiarum, licet aliqui ex speciali ratione negant tales habitus infundi parvulis. Post Innocentium III. Clemens V. in Concil. Vien. ut referuntur in Clementina vnica de summa Trinit. tanquam probabiliorem sequuntur opinionem asserentem tum parvulis, tum adultis in baptismo infundi gratiam, & n.